

Petrus de Vinea

*Ep. V 93 (Pro parte uniuersitatis
hominum Monticuli...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 93 (Pro parte uniuersitatis
hominum Monticuli...)*

1249

Capitano, ut non permittat fideles molestari contra gratiam eis concessam.

1. Pro parte uniuersitatis hominum Monticuli, fidelium nostrorum, nostrae celsitudini fuit nuper expositum cum querela, quod, cum ipsi quasi ultra eorum posse circa eiusdem castris munitionem attentos se fideliter obtulerint et impendant, prout dudum ab excellentia nostra ex nostris nuntiis receperunt per tempora et per litteras in mandatis, propter quod consueuerunt ab aliis exactionibus et seruitiis nostris esse immunes, nuper T. de Colle, fidelis noster, capitaneus in comitatu Aretii per dilectum filium nostrum F. de Antiochia ordinatus, tam de retinendis equis ad arma quam de exactione pecuniae, datis pignoribus ab eisdem et aliis grauaminibus contra ipsos illatis, sicut dicunt, multipliciter aggrauauit. 2. Super quibus licet pluries scripta tua obtinuerint ad capitaneum memoratum, idem tamen capitaneus, mandatis tuis non obtemperans, ab inceptis grauaminibus resilire contempnit, in ipsius uniuersitatis grauamen non modicum et preiudicium manifestum. 3. Cum igitur pro parte nostrorum fidelium eorundem nostrae fuerit maiestati humiliter supplicatum, ut ipsis fidelibus nostris, tantis grauaminibus oppressis, dignaretur nostra celsitudo misericorditer prouidere, nos ipsorum supplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus, si tibi constiterit de premissis, exinde facias et procedas, sicut honori nostri culminis et qualitati negotii uideris expedire.